



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1844**

V. Graf Adolph von Holstein schenkt unter dem Zeugnisse seines Schwiegersohnes, Grafen Burchard von Lindow, an den Ritter Johann von Wedel Ländereien in Billwerder, im Jahre 1307.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54407](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54407)

IV. Nicolaus Herr von Werle und Günther Postulat von Camin verpfänden den Grafen Burchard und Christoph von Lindow ihren Oheimen und Anderen die Mühle zu Pryborn und einen Antheil an Piscun, im Jahre 1302.

Cum nil in mundo maneat, quin etas illud deleat, Igitur fidele sigillum mentis est scriptura, ne rei geste memoria tempore labente simul cum tempore delabatur, dignum videtur et est, ut ea, que per nos nostris temporibus fiunt, sigillorum nostrorum appensione roborentur. Noscat igitur reverenda natio presentium et felix successio futurorum, quod nos Nicolaus, dei gratia dominus de Werle, et Gunterus, Caminensis ecclesie postulatus, avunculis nostris et amicis, Burchardo et Christofero nobilibus comitibus de Lindowe ac C. Bunoni et Nycolao de Malin militibus molendinum in pryborn, et id quod habuimus in piscun, eorumque heredibus resignauimus cum omni jure ac cum proprietate, quem admodum hucusque habuimus, precaria et cum denariis monetarum, pro c. marcis et triginta marcis Brandenburgensis argenti conditione tali mediante, quod si ex nobis fratribus unus hanc summulam argenti predictam sepe dictis comitibus et militibus infra hinc et Invocavit presentaverit seu hanc redemerit, redditus predicti molendini et ville piscun ad manus nostras revertantur. Preterea nos Nicolaus de Werle una cum quibusdam nostris militibus pro prenarrata re fidejussimus videlicet cum Bernardo de Bellyn, cum Frederico de Lobeke et cum Ludolpho de Oldenborg. Ut hujusmodi factum firmum et ratum permaneat, hanc literam scribi et sigillari fecimus nostrorum amborum benivola voluntate. Datum anno domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. II<sup>o</sup>. Plawis die Dionysii.

Nach Stubloff Cod. dipl. hist. Meg. I, 175.

V. Graf Adolph von Holstein schenkt unter dem Zeugnisse seines Schwiegersohnes, Grafen Burchard von Lindow, an den Ritter Johann von Wedel Ländereien in Billwerder, im Jahre 1307.

Uniuersis audituris presenciam uel uisuris, Adolphus, Dei gratia Comes Holstatie et Stormarie, salutem in domino sempiternam. Recognoscimus et tenore presentium publice protestamur, quod nos de nostro libero arbitrio donauimus Domino Johanni de Vedhele, nostro fideli militi, viginti quatuor jugera sita in Billenwerdhere, que Willekinus Rusehe a nobis tenuit in pignore, jure hereditario ac proprio, cum utilitate, judicio maiore et minore, sicut nos habuimus, quiete, pacifice, perpetuis temporibus possidenda, Dantes sibi et suis heredibus dicta bona, cuiusque voluerint, obligandi uel vendendi liberam facultatem. In cuius rei euidentiam nostrum sigillum presentibus est appensum. Testes vero huius nostre donationis sunt, noster gener Comes Borchardus de Lynddowe, ac nostri fideles milites, Johannes de Rennowe, Otto de Solenbeke, Hartwicus de Hvmmersbutel, Bertoldus Longus, et alii plurimi fide digni. Datum et actum in Segheberg, Anno domini M. CCC. VII In crastino beatorum apostolorum Symonis et Jude.

Nach Michelsen, Urkunden-Sammlung der Schleswig-Holstein-Lauenburgischen Gesellschaft II, I, 25.